

DE INHABITATIONE SANCTI SPIRITUS IN ANIMIS IUSTORUM

Inter capita doctrinae quae ad iustitiam et sanctitatem hominis spectant, illud sine dubio eminent quod inhabitatio sancti Spiritus appellatur et est, quodque vel maxime iuvat, cum ad tertiam Personam sanctissimae Trinitatis pro nostra tenuitate cognoscendam, tum etiam ad rationem gratiae habitualis melius investigandam atque aliis tradendam cum pretiosissimis ipsius gratiae titulis, quibus et divinam amicitiam et participationem divinae naturae atque adoptionem filiorum Dei gratia nobis confert ex sese.

Sane conceptus huiusmodi enucleare non ad scholas tantum vel ad scholasticam disciplinam pertinet, sed universe ad ipsam omnium fidelium institutionem, cum manifestum sit, nihil magis in animo omnium esse debere quam Spiritus sancti gratiam et dona, inter quae summum locum obtinet ipse sanctus Spiritus, Deus simul Deique donum. Verba autem haec significantia quam assidue in ipsa sacra Liturgia usuveniant, nemo est qui non videat.

Neque ingratum erit rem notam repetere quae passim inveniuntur in theologicis libris qui prae manibus sunt omnium qui sacram excolunt scientiam; neque enim in his disputatio deest, quae solet animos intentos sustinere, cum praesertim materia ipsa quae agitur praestantissima sit, ut profecto est inenarrabile factum supernaturalis vitae de quo nobis est sermo.

En summam causae clarissimis verbis Leonis XIII propositam in Encyclica, *Divinum illud munus*: “Deus ex gratia, ait S. P., insidet animae iustae tanquam in templo, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit benevolentiam maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur. — Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine inhabitatio dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (Ioan. 14, 23), attamen de Spiritu

sancto tanquam peculiaris praedicatur" (1). Id ipsum secundum communio-rem Theologorum sensum nobis S. Thoma praelucente atque ipso summo numine favente explanare conabimur.

In quo duo praecipue contineri videmus: primum illud est quod potissime difficultatibus est obnoxium, quo affirmamus, Deum vere ac proprie animae iustae insidere, nempe ex gratia; alterum, hanc in sessionem verissime haberi praesentia in anima totius sanctissimae Trinitatis, quamvis de sancto Spiritu praedicetur tanquam peculiare.

I. — DE VERA RATIONE QUA DEUS DICITUR IUSTORUM ANIMIS INSIDERE

Tria adhuc in hac re affirmamus: 1) Deum vere ac proprie et substantialiter in animis iustorum habitare; 2) id haberi quodam saltem modo per gratiam sanctificantem; 3) propriissime vero per ipsius gratiae largitionem.

1) VERA ET SUBSTANTIALIS EST IN ANIMIS IUSTORUM DEI SEU SPIRITUS SANCTI INHABITATIO

Periculum est ne dum inhabitatio Dei in animis iustorum explicatur, non de ipsa praesentia substantiali sed de solo divino eius effectu sit sermo. Obvia enim occurrit difficultas, quandoquidem in Deo nulla potest esse mutatio, proindeque nova praesentia ipsius nisi mutatione facta in anima nequaquam potest intelligi. Ex quo licet conicere quam facile aliqui auctores, etiam nolentes, non nisi de mutationibus accidentalibus creaturae hanc quaestionem agitantes sint locuti, ac videantur novam praesentiam substantialem Creatoris haud plane agnoscere. Hinc etiam proclivitas nescio quae, ut non recte quorundam sententiae proponantur atque inter se opponantur immerito (2). Quam difficultatem nullibi melius perspiciemus, quam ubi propriissimam rationem inhabitationis investigabimus.

Nunc autem factum nudum affirmamus et probare volumus quod omnes probati auctores affirmant, quod sancti Patres et Ecclesiae

(1) V. Leonis XIII Pontificis Maximi Acta, vol. XVII, p. 139.

(2) Iis quidem advertere intendimus in genere diversas esse sententias in quibus verbis magis quam re ipsa differre atque inter se pugnare earum auctores videntur. Singulariter autem opus respicimus, *L'habitation en nous des trois Personnes. Le Fait-Le Mode* par PAUL GALTIER, S. J. (Paris, 1928), in quo etiam vehementer suspicamur, vel potius videmus non accurate fuisse propositam sententiam quamdam quae in eodem acriter impugnatur. Multo rectius totam hanc materiam complectitur P. BERAZA in *Tractatu de Gratia Christi* (Bilbao, 1916), p. 3, sect. 2, c. 3, *De Inhabitatione Spiritus Sancti*.

Doctores laudibus efferunt, quodque Scriptura sacra aperte satis nobis refert, unde certo prorsus omninoque est tenendum.

PROBATIO

Atque ut ex gravissima ratione proficiscamur verba Ioannis (14, 23) proferemus, quae sunt eiusmodi: *Respondit Iesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ad haec sic ait S. Cyrillus Alexandrinus, l. 10 in *Ioan.* (M. G. 74, col. 290): "Habitate quippe in nobis Servatore nostro Christo per sanctum Spiritum, erit quoque omnino nobiscum et Genitor; nam Spiritus Christi idem est et Patris. Unde Paulus divinus, alias quidem Patris, alias autem Filii proprium Spiritum ait, etc." Et paulo inferius (col. 291): "Inhabitante itaque in cordibus nostris Unigenito, nequaquam abest Pater: habet enim Filius in seipso Genitorem, unius existens cum eo substantiae, sed et ipse est in Patre naturaliter. Fidei ergo definitio et inculcata ratio haec est." Quae profecto magnam prae se ferunt certitudinem facti huiusmodi, quaeque insuper sequentibus confirmantur: "Nihil enim, ait ipse, increatum esse putabitur unquam, nisi solus natura Deus, ex quo videlicet procedens sanctus Spiritus, ut ipse ex quo est, habitat in nobis. Proprius enim est substantiae eius, et qualitas veluti quaedam sanctitatis eius."

Tandem dum ex eodem loco Ioannis Deum esse Filium confirmat, in hunc modum inhabitationem Dei in animis nostris concinne declarat: "Nam si natura, ait praeclarus Doctor, diversus est omnino Filius, et in propria quadam natura intelligitur, quomodo necesse non est duos deos in nobis esse credere mandata servantibus? Quod si unicus non autem duorum deorum templa dicimur, Patre ac Filio in nobis habitantibus, quatenam (col. 294) ratio in nobis duos illos ad unitatem redigit, cum iuxta vestram dementiam, identitati substantiae non sit locus? Vel enim necesse est dicere Christum falsa nobis esse locutum, et inhabitare tantum in nobis Patrem per Spiritum; vel inhabitare quidem ipsum, abesse vero Patrem. At hoc absurdum: unus quippe Deus est in nobis, cum ambos suscepimus." Ita sane S. Cyrillus Alexandrinus edocens propriam Dei praesentiam secundum ipsius substantiam in animis iustis, quod quidem efficit ex manifesta vi vocum sententiae Christi Domini (*Ioan.* 14, 23). Profecto verba sunt tam clara ut nulla prorsus tergiversatione eorum sensus ad inhabitationem minus propriam significandam detorqueri possit.

Merito ad haec verba ait Augustinus (*Tract. 76 in Ioan. M. L. 35 col. 1831*): “Quaesierat (discipulus) de Christi manifestatione, et audivit de dilectione atque mansione.” Arguit revera sanctus D. ex hoc ipso futuram esse manifestationem Iesu in animis iustorum, sed haudquaquam eam cum mansione confundit ab ipso Domino promissa.

Ceterum verissimam esse hanc ipsius Dei inhabitationem in animo dilucide praedicat magnus ipse Doctor Gratiae in eodem brevissimo Tractatu 76 (col. 1832) in hunc modum: “Ecce, ait, facit in sanctis cum Patre et Filio sanctus etiam Spiritus mansionem” (verba enim retulerat Ioannis 14, 17): “intus utique tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo; ut sit nobis eorum non extranea visio, sed interna; et in nobis eorum non transitoria mansio sed alterna. Sic mundo non se Filius manifestat.” In quibus talem Dei praesentiam in animis iustorum affirmat Augustinus, qualis in caelis obtinenda esse cognoscitur, propria profecto, personalis et substantialis.

Praeter hanc autem sententiam Christi Domini (*Ioan. 14, 23*), ipsiusque interpretationem sanctorum, alia nobis plura suppetunt in ipsis sacris litteris indicia ad eandem doctrinam validissime tuendam. Ea breviter commemorare satis erit, omissis etiam Patrum sententiis quae ad idemmet confirmandum praesto sunt (3). *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit (Ioan. 14, 16-17). Quod si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis (Rom. 8, 11). Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (1 Cor. 3, 16-17). An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? (1 Cor. 6, 19). Qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris (2 Cor. 1, 22). Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos*

(3) Ad quamplurimas auctoritates PP. quae hanc partem nostrae propositionis convincunt, recolendas, adest opus P. PETAVII, *De Theologicis dogmatibus*, t. 2 (Venetiis, 1757), l. 8 de Trinitate, c. 5. Optimas etiam congressit P. FRANZELIN, *De Deo Trino secundum Personas* (Romae 1869), thesis 43. Multae praeterea sententiae quae in sequentibus commemorabuntur id ipsum efficiunt.

(2 Cor. 6, 16). Haec enim vero negare non sinunt vera quadam ratione Deum secundum propriam substantiam animis insidere iustorum.

Quae cum ita sint, ut rem sub oculos ponere videantur, facile concipitur omnes passim theologos id asserere, adeo ut princeps theologorum, S. Thomas ita edixerit: "Si igitur divina persona mittitur solum secundum dona gratiae gratum facientis, non donabitur ipsa persona divina, sed solum dona eius; quod est error dicentium Spiritum sanctum non dari, sed eius dona" (1 p. q. 43, a. 3 in primo argumento). Atque in responsione ad 1, concludit, "*et tamen ipsa persona divina datur*". Itaque constat plane apud theologos Deum vere et secundum substantiam animis iustorum dari seu ipsis insidere, atque in his ut in templo Deum habitare.

2) INHABITATIO DEI IN ANIMIS IUSTIS EST QUODAM SALTEM MODO PER GRATIAM SANCTIFICANTEM

Post probatam hanc singularem Dei praesentiam sequitur ut declaremus quonam pacto id possit intelligi nulla praesupposita in Deo mutatione. Ad quod obtinendum in primis probabimus locum habere inhabitationem per gratiam sanctificantem quae iustos constituit, quin modum adhuc definiamus quo res ipsa peragitur. Factum nempe inhabitationis cum altero facto coniungemus ex quo primum colligere possumus, quamvis interea abstineamus a ratione philosophica tradenda qua eiusmodi consecutio vera esse ostenditur. Versamur enim in re quam ut videbimus Traditio veneranda sustinet, non vero in controversia scholastica, quam statim tractabimus, quaeque illam Traditionem ratiocinationibus fundat atque splendescere facit.

Itaque ostendemus esse iuxta existimationem sanctorum Patrum intimam connexionem inter gratiam quae sanctos constituit et inhabitationem sancti Spiritus, ita ut valeat haec inductio, est gratia in anima, est igitur in ipsa Spiritus sanctus; immo vero etiam ex sequentibus eruemus non nisi cum hac gratia animis proprie insidere Spiritum sanctum, quamvis celebris sit varietas gratiarum quas ipse confert.

Interim vero generali tantum ratione inhabitationem cum gratia sanctificante connectimus, ea porro illatione quae contineri videtur in sententia Pauli (Rom. 5, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Novimus quidem secundum diversos auctores triplicem interpretationem vocem, *caritas*, in hac Pauli sententia admittere, nimirum ut possit significare, cari-

tatem Dei increatam, vel caritatem homini inditam, vel utramque complecti; utcumque autem ipsam vocem accipias semper duo in ipsa sententia atque in homine deprehendes, immutationem nempe animi qui iustus redditur, dono proinde creato, et Spiritum sanctum in eo inhabitantem. Est ergo gratia in nobis ut effectus divinae caritatis per Spiritum sanctum qui nobis datur (4).

Sed hoc evidentius constabit ex nonnullis Sanctorum dictis, quae brevitati in omnibus consulentes iam afferimus.

CERTA QUAEDAM TRADITIO IN HAC RE MAGNORUM ECCLESIAE PATRUM
PROBATUR

a) Ac primum quidem locum obtineat in nostra recensione S. Cyrillus Alexandrinus, quippe qui facile praestat omnibus in commemoranda atque extollenda Spiritus sancti praesentia in animis sanctis. Igitur in l. II in *Ioannem* c. 2 (*M. G.* 74, col. 454) ait Cyrillus: "Est enim odor veluti quidam substantiae eius (sc. Spiritus), vivens et efficax, qui quae a Deo sunt creaturae transmittit, et supremae omnium substantiae per seipsum participationem inserit. Nam si aromatum fragrantia vim suam vestibis imprimit, et in seipsam quodammodo transformat ea in quibus fuerit, qui non poterit sanctus Spiritus, siquidem naturaliter est ex Deo, divinae consortes naturae per se ipsum eos reddere in quibus sit? Fructus igitur et character substantiae Genitoris cum sit Filius, omnia quae eius sunt secundum naturam sibi vindicat. Idcirco ait (*Ioan.* 16, 15): *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.*" In quibus illae voces Cyrilli, *creaturae transmittit, participationem inserit, iuxta comparisonem quae praesertim continetur verbis eiusmodi, vestibis imprimit, et quodammodo transformat*, quamvis in his semper servetur ut totum per ipsum Spiritum fiat, sensum absonum redderent, nisi percipiatur vere aliquid fieri ab Spiritu in homine ratione cuius etiam mente praecisa Spiritus praesentia, homo intelligatur divinae consors naturae effectus ab ipso Spiritu.

Porro in *Dialogis de SS. Trinitate* ipsius S. Doctoris luce clarius traditur distinctio duplicis doni, nimirum infiniti seu Dei, ac creati

(4) Ex ipsis verbis Pauli arguit S. Thomas, loco nuper allato, ad 2, ab Spiritu qui datur dari gratiam, cum ait: "Sed tamen ipsum donum gratiae est a Spiritu sancto; et hoc significantur cum dicitur quod, caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum." Quem Suarez secutus (l. XII de *Trinitate*, c. 5, n. 8) doctrinam ipsam confirmat hoc uno adiecto Pauli dicto: "Ibi enim donum caritatis creatum ab Spiritu sancto distinguitur, diciturque esse effectum Spiritus sancti nobis dati." Similia passim apud theologos invenies.

per ipsum Deum in animis sanctis, tam arcte tamen inter se connecuntur iuxta Cyrilli doctrinam, ut reapse nunquam separari queant.

En aliqua quae in *Dialogo* 4 legimus (*M. G.* 75, col. 906): “Divinae enim naturae participes habitudine ad Filium per Spiritum non sola opinione sed veritate sumus, quotquot credimus, et configurati sumus Deo, ad pulchritudinem quae est supra creaturam reformati. Formatur enim in nobis Christus ineffabiliter, non ut creatus in creatis, sed ut increatus ac Deus in creata ac facta natura, ad suam imaginem transformans per Spiritum, et ad dignitatem creatura superiore creaturam, id est nos, transferens.” Quid hoc evidentius poterat dicere, qui tam varie propriissimam inhabitationem Spiritus in iustorum animis esse affirmat, ut palam exprimeret, hanc locum obtinere cum gratia sanctificante verissime etiam animis indita. Ac re quidem vera haec divinae naturae participatio, qua *configurati sumus Deo*, qua *reformati* sumus, qua *transformati ac translati* ad dignitatem creatura superiore ipsissima est gratia sanctificans, ut omnibus compertum est.

Brevissime haec omnia complectitur S. Cyrillus in *Dial.* 5 cum ait (l. c. col. 946): “Obsignati enim sumus sancto Spiritu ad effigiem et similitudinem vultus Patris, hoc est Filii.” Nam et praesentiam Spiritus significant et obsignatio eius de qua est sermo nullatenus potest confundi cum Spiritu, propterea quod agit S. D. de imagine et similitudine Dei in homine creata. Numquidnam homo creatus est ad imaginem et similitudinem Dei per solam denominationem extrariam a Deo acceptam nihil in homine operante?

His contentus mitto plura referre ex *Dial.* 7 in quo certo multa ad rem nostram pertinent.

b) Quae ex Cyrillo adduximus redolent quam maxime Athanasium in *Epistola I ad Serapionem*, ut dubitare liceat quid cuiusque sit proprium. Athanasius enim perinde ac Cyrillus tam arcte connectit largitionem Spiritus sancti cum gratia sanctificante in animos immissa, ut dum nostram regenerationem et iustificationem ipsi Spiritui seu dono infinito nobis concesso refert ut causae, donum creatum seu ipsa regeneratio et iustificatio disparere videatur; quamvis hoc donum manifeste etiam agnoscit. In exemplum aliqua eiusmodi afferamus.

Agit Athanasius de divinitate Spiritus sancti, atque adducta sententia Pauli (*Gal.* 4, 19), *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, ait: “Hoc autem modo signati, convenienter divinae naturae consortes reddimur, uti docet Petrus (*2 Petr.* 1, 4): atque ita universae res creatae Verbi in Spiritu fiunt participes.” Atque hoc pacto (iuxta Athanasium) signati conformantur ad effigiem Chris-

ti; sigillum autem est Spiritus" (*M. G.* 26, col. 586). Vis autem argumentationis ad divinitatem Spiritus sustinendam sine dubio in eo reponitur quod sigillum ipsissimam effigiem Christi debeat continere, non vero eius participationem tantum. Si enim hanc tantum contineret, sigilli participatio non efficeret consortes naturae divinae.

In quibus profecto quod maxime elucet est doctrina inhabitationis vel collationis ipsissimi S. Spiritus, prae dono creato gratiae sanctificantis. Verum enim vero hic nomen gratiae minime adest, res autem ipsa et adest et affirmatur. Nemo enim sanus verba Athanasii legens sustinere poterit illam conformationem ad Christi effigiem, qua consortes sumus divinae naturae et participes eius effecti, nullam mutationem mirabilis sane pulchritudinis in ipsa anima supponere; quae quidem conformatio in anima recepta qua intime consortes divinae naturae reddimur ipsa certissime est gratia sanctificans.

Athanasius autem prout disputationi congruebat, magis ad causam quam ad effectum attendit, magisque explicat Spiritum Sanctum in animos immitti quam gratiam, licet hanc simul complectatur.

Quod iterum ac saepius apparet ex processu totius argumentationis athanasianae. Paulo enim post ita rem colligit cl. Doctor. "Si porro Spiritus communicatione divinae naturae consortes efficimur, nemo certe nisi insanus dixerit Spiritum non Dei, sed creatae esse naturae. Nec enim alia de causa hi in quibus ille est, dii efficiuntur. Quod si (col. 587) deos efficit, dubium non est quin eius natura Dei sit." Porro nihilo affici per inhabitationem S. S. substantiam animae, ipsumque hominem ope istiusmodi inhabitationis deum effici, quis unquam dixerit?

Atque in idem redit quod inferius sequitur: "Si igitur Pater omnia per Verbum in Spiritu creat et renovat: quae similitudo aut cognatio creantis cum rebus creatis, Vel qui omnino fieri queat ut ille res sit creata in quo omnia creantur?" Ergo cum de renovatione hominis sermo in his sit, quae gratia completur et constat, sane concludendum est, Athanasium non tantum donum increatum edocere, sed ipsum homini inditum esse cum gratia sanctificante. Atque haec sufficient ad mentem S. Athanasii recte agnoscendam.

c) Iam vero id ipsum non obscurius sed clarius etiam tradidit Basilius, magnus ille Spiritus sancti praeco et vindex. Quaedam ipsius verba deprimam tum ex libris quos *adversus Eunomium* scripsit, tum etiam ex eius *de Spiritu Sancto libro*; quae quidem opera toti antiquitati bene nota, aliorum etiam sanctorum sunt auctoritate firmata.

Ac primo inducamus opus contra Eunomium ubi in fine l. 5 sic loquitur magnus Basilius (*M. G.* 29 col. 770): "Ut enim radii solis faciunt ut nubes illustretur, splendeatque, aurei coloris ei inducta specie; ita quoque Spiritus sanctus in cor hominis adveniens, dedit vitam, dedit immortalitatem, dedit sanctimoniam, erexit iacentem." In his autem non est dubium quin S. D. coniungat inhabitationem cum gratia et sanctitate creata in anima.

Eadem etiam coniunctio elucet cum ait (col. 771): "Et quam vitam indit Spiritus in alterius subsistentiam, ea ab ipso non separatur, sed quemadmodum ignis est caliditas partim illa, quae in eo est, partim illa quam aquae aut alteri rei eiusmodi impertit, sic ita quoque ipse, et in semetipso vitam habet, et qui ipsius fiunt participes, ii, ut deos decet, vivunt, vitam divinam ac caelestem comparantes." Porro his verbis non praebet Basilius conceptum philosophicum gratiae sanctificantis, at vero luce clarius apparet Spiritum sanctum dari cum eiusdem gratiae donis.

Quod si quis abnueret id agnoscere, verba a Basilio paulo altius scripta repetenda esse viderentur, quae sic se habent (col. 762): "Cum enim fiant omnia a Deo per Iesum Christum in Spiritu, inseparabilem video Patris et Filii et sancti Spiritus operationem. Et propterea templa Dei et Filii et sancti Spiritus sunt omnes sancti, in quibus inhabitat una deitas, et una dominatio et una sanctitas Patris et Filii et Spiritus sancti, propter unam baptismatis sanctificationem." En quam arcte coniungatur inhabitatio Spiritus seu totius sanctissimae Trinitatis cum gratia sanctificante: iuxta S. Basilium omnes sancti sunt unius Dei templa propter unam baptismatis sanctificationem.

Haud secus in l. *de Spiritu sancto* legimus (*M. G.* 32, col. 107): "Omnia quidem implens virtute, sed solis iis qui digni sunt communicabilis, quibus sese non eadem impertit mensura, sed iuxta proportionem fidei dispertitur vim suam." Atque iterum paulo post (col. 110): "Sic et Spiritus sanctus, unicuique capacium cum adsit quasi soli, sufficientem omnibus gratiam ac integram infundit: quo fruuntur quaecumque de illo participant, quantum ipsis fas est natura, non quantum ille potest." Haec cum proferimus suspicabitur fortasse quispiam nos hic inniti in voce ipsa gratia quam hic legimus. Sed neque hoc est opus, cum S. D. simul ea quae ad vitae sanctimoniam expectant tam clare exprimat, quae sine dubio ipsam gratiam sanctificantem complectuntur.

Sed sunt alia potiora. Nam in c. 26 (col. 183) haec habes: "In rebus ergo conditis ad hunc modum multifariam variisque rationibus

dicitur Siritus inesse: verum magis pium est dicere, eum esse cum Patre et Filio, quam illis inesse. Nam gratia ab eo manans, habitante in iis qui digni sunt, ac suas operationes in illis exercente, recte dicitur inesse iis qui sunt illius capaces." Ecce tibi, inhabitationem gratiam secum ferre iuxta Basilium.

d) Eadem vi atque auctoritatis pondere rem tantam docet Chrysostomus. Nam in homilia 10 in *Ioannem* n. 2 (*M. G.* 59, col. 75) ita loquitur: "Baptisma quos abluit, aureos ex luteis reddit, Spiritu ignis instar (col. 76) illo tempore in animas nostras incidente, et lutea assumpta imagine, caelestem novam et splendidam imaginem, quasi ex conflatura splendentem referente." Ac dum diligentius verba *Ioan.* 1, 12 interpretatur: "Cur non dixit, interrogat, Fecit illos filios Dei; sed dedit illis potestatem filios Dei fieri?" "Ut ostenderet, ait, multa nobis opus esse diligentia, ut adoptionis imaginem in baptismo nobis impressam immaculatam semper et intactam servemus." Re quidem vera donum creatum simul cum dono increato dari rectissime hoc significat, quod tandem sic repetit postquam libertatem humanam sedulo commendavit: "Nisi enim voluerint, inquit, donum non advenit, nec operatur quidquam." Donum igitur quod advenit in baptismo, Spiritus sanctus profecto, ideo advenit ut operetur, gratiam siquidem operando advenit.

Per hominis sanctificationem dari donum illud supremum, Spiritum sanctum inquam, interpretatur Chrysostomus iterum cum in hunc sensum verba Pauli (2 *Cor.* 1, 21-22) commentatur: "Rursum per praeterita fidem futuris conciliat (sc. Paulus). Nam si ipse (Deus) est, qui nos in Christo confirmat, hoc est, qui nos a fide quae in Christum est dimoveri non sinit; atque ipse etiam est, qui nos unxit, Spiritumque in cordibus nostris dedit; quomodo non futura quoque daturus est?" Et post pauca addit: "Quid autem est, Qui unxit et signavit? Hoc est, qui Spiritum dedit per quem, utrumque horum effecit, nimirum simul et prophetas et sacerdotes et reges efficiens." Quae quidem sanctificationem proprie participatam expriment (5).

e) Sed ad Augustinum veniamus, qui constanter antiquam Ecclesiae orientalis traditionem, Ecclesiae latinae sartam tectamque servavit. Apprime id elucet hac in re ex *Tract.* 32 in *Ioannem* in quo passim affirmat vel supponit S. D. Spiritum sanctum dari nobis per gratiam aut caritatem quod maxime in eius modo loquendi in unum redit. Audi exempli gratia haec verba inde deprompta: "Accipimus ergo et nos Spiritum sanctum si amamus Ecclesiam, si caritate com-

(5) V. M. G. 61, col. 411 et ss.

paginamur, si catholico nomine et fide gaudemus.” (*M. L.* 35, col. 1645); vel haec alia tam similia dictis: “Habemus ergo Spiritum sanctum si amamus Ecclesiam: amamus autem, si in eius compage et caritate consistimus. Nam ipse Apostolus cum dixisset diversa dona dari diversis hominibus, tanquam officia quorumque membrorum, *Adhuc*, inquit, *supereminentiorem viam vobis demonstro*; et caepit loqui de caritate” (col. 1646) etc. Atque in *Tract.* 74 (col. 1827) legimus: “Restat ergo ut intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligit”, etc.

Porro huiusmodi Augustini sententiae missionem seu largitionem in animam Spiritus sancti per gratiam haberi patefaciunt; verumtamen eandem doctrinam manifestius praedicant quae sequuntur ex l. 15 *de Trinitate* c. 26 (*M. L.* 42, col. 1093): “Quid vero fuerit causae, inquit Augustinus, ut post resurrectionem suam, et in terra prius (Dominus) daret (*Ioan.* 20, 22), et de caelo postea mitteret Spiritum sanctum (*Act.* 2, 4); hoc ego existimo, quia *per ipsum donum diffunditur caritas* in cordibus nostris (*Rom.* 5, 5), qua diligimus Deum et proximum, secundum duo illa praecepta in quibus tota *Lex* pendet et *Prophetae*.” (6). Verba sunt clara.

f) Postremus ordine non auctoritate in hac brevi probatione ex Patribus sit S. Leo Magnus, qui in sermone tertio *de Pentecoste* c. 1 ita rem effert: “Sperabatur (Spiritus sanctus), quia illum Dominus Iesus sponderat affuturum, non ut tunc primum esse sanctorum habitator inciperet, sed ut sacrata sibi pectora et ferventius accenderet, et copiosius inundaret; cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate.” (7). Omnia hic sapiunt inhabitationem esse per gratiam ut facile consideranti patebit.

Neque in hoc ullum est inter scholasticos discidium. Quamquam enim, ut notum est, apud ipsos in controversiam venerit utrum per dona gratiae gratis datae, sine infusione gratiae sanctificantis, etiam mitti seu dari Spiritus sanctus sit dicendus; tamen et communissima sententia est quae docet, non nisi per dona gratiae gratum facientis id proprie seu simpliciter evenire (8), et quidquid de illa controver-

(6) Locos huiusmodi tam aptos ad probandum iuxta S. Augustinum, dari vel mitti Spiritum sanctum per dona gratiae gratum facientis sic breviter commemorat Suarez (l. c.): “Estque communis sententia Patrum, inquit. Videri potest Leo, sermone secundo Pentecostes, Ambrosius libro primo de Spiritu sancto capite quarto et quinto, Augustinus quinto (mendose, quinto pro decimo quinto) de Trinitate capite vigesimo sexto, et tractatu trigésimo secundo et septuagesimo quarto in Joannem.”

(7) *M. L.* 54, col. 412.

(8) Quomodo sed improprie mitti Spiritum sanctum per dona quaedam supernaturalia quae gratum non faciunt habentem passim docuerunt theo. ogi. Ex. gr. S. Bonaventura clarissime id tuetur in 1. *dist.* 15, p. 2, q. 1 ubi ait: “Propter hoc aliter dicendum tam de

sia fuerit, omnes ad unum sancti Spiritus inhabitationem aliquomodo per gratiam esse agnoverunt.

Iuvabit autem, priusquam ad enucleandam communem hanc et certam sententiam gradum faciamus, ipsam exprimere verbis seraphici Doctoris S. Bonaventurae quae sic suaviter sonant (I *dist.* 21, *dub.* 2): "Dicendum quod quamvis Deus sit in omnibus et cum omnibus, tamen specialiter dicitur esse cum Sanctis propter effectum gratiae inhabitantis, per quam ipsi conformantur, et cari et similes ei fiunt. Unde Proverbiorum octavo (v. 31): *Deliciae meae esse cum filiis hominum.*"

3) INHABITATIO SPIRITUS SANCTI IN ANIMIS IUSTIS EXPLICATUR PER IPSAM GRATIAE SANCTIFICANTIS LARGITIONEM

Age iam, intimiorem explicationem quaeramus eiusmodi inhabitationis. Gratia ipsius Spiritus nos adiuvet ut eam invenire possimus. Arduam enim rem quaerimus.

Porro hucusque auctoritate fulti Scripturae atque sanctorum affirmavimus, Deum vere et proprie seu secundum suam substantiam

Filio quam de Spiritu sancto quod dari vel mitti est dupliciter: vel *simpliciter* vel *ad hoc*. Tunc datur simpliciter quando simpliciter habetur, videlicet non tantum ad usum, sed ad fructum; hoc autem est solum per dona gratiae gratum facientis, et ideo solum in illa datur simpliciter vel Filius vel Spiritus sanctus. Alio modo dicitur dari *ad hoc*, quando non ad fructum, sed ad auxilium sive ad aliquem usum aliqua dona donantur; et hoc quidem, cum dantur aliqua dona gratiae gratis datae, in quibus manifestatur Filius vel Spiritus sanctus." Idem expressis verbis defendit Ruiz de Montoya (*De Trinitate*, disp. 109, sect. 1, *conclusio secunda*) hoc pacto: "Divina persona secundum quid et quodammodo mittitur per quemlibet actum aut habitum supernaturalem, in quo tanto plus erit de veritate et perfectione missionis quanto proprius accesserit ad gratiam sanctificantem." Atque inter alios auctores pro se affert Vazquez, Molina et Suarez. Hanc autem distinctionem certe sustinet Molina qui in 1 p. q. 43 a. 3 scripsit: "Licet autem in hoc articulo, cum sanctis et Scripturis sacris, sermo sit de missione divinae personae explicata, non tamen negat divus Thomas, Deum, personaeque divinas esse etiam in nobis modo aliquo minus perfecto per gratias gratis datas, et alia dona etiam naturalia, etc." At Vazquez (in eundem locum D. Thomae) rem non tuetur sed permittit. "Secundum quid, ait, concedi potest sententia Caietani, ut Bonaventura et Durandus etiam concedere videntur, quia aliquo modo Deus est per fidem in homine." Minus adhuc Suarez id tenet, qui postquam hanc sibi quaestionem proposuerat eam solvit sequenti animadversione (l. c. n. 7): "Et licet fortasse sit quaestio de modo loquendi, hic (scilicet affirmare missionem esse per gratiam gratum facientem) est magis consentaneus modo loquendi Scripturae et Patrum." Sed clarissime duplicem modum loquendi offert nobis Toletus his verbis: "Secundum gratiam gratis datam etiam dicitur mitti et dari persona, sed secundum quid; non enim proprie per hanc nobis inhabitat; et quia adscribitur sola fides absque gratia, secundum quam est missio secundum quid" (in 1 p. q. 43, a. 3, *quarta conclusio*). Immo id etiam quodammodo admittere videtur S. Thomas cum in hoc loco ad 4 scripserit: "Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus sanctus; nisi forte cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur quod alicui datur Spiritus propheticus, vel miraculorum, in quantum a Spiritu sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi", quod quidem facile extenditur ad alia exempla.

iustorum animis insidere, subintellecto nimirum dono gratiae gratum facientis in animis ipsorum. Ast nunc intellectu progredi volumus et connexionem percipere inter gratiam sanctificantem, et miram huiusmodi inhabitationem Dei in animis hac gratia donatis; seu intelligere volumus istam consecutionem quam propter auctoritatis pondere tantum hucusque rectam esse cognovimus: Deus est in homine superiori quadam ratione praeter id quod exigit divina immensitas, homo igitur gratiam sanctificantem est consecutus; vel hanc aliam: homo gratia est praeditus, templum itaque Dei singulari prorsus modo; et similia. Ergo rationem iam quaerimus, non auctoritatem tantum.

Quaedam sententiarum oppositio in hac ratione reddenda novimus existere; verumtamen consulto eam exponere omitemus propter periculum ingens quod innuimus ne talis oppositio non nisi apparens sit (9).

Itaque haec est nostra propositio quam ut aptissimam tradimus ad effectum inhabitationis ostendendum: Deus singulari modo animis insidet eo ipso quod gratiam sanctificantem infundat seu in animis producat aut conservet. Quod quidem haudquaquam ut rem a nobis inventam sed ut acceptam exponere intendimus, quam in gravissimis auctoribus percipere quisque potest (10).

(9) Singularis nescio quae difficultas proponendi multorum opiniones in re praesenti elucet in opere allato, *L'Habitation en nous des trois Personnes*. In ipso enim eadem traditur doctrina quam statim trademus. Attamen id ibi peragitur late disputando contra P. Suarez atque eius sententiam, quae nihilominus communior esse supponitur et affirmatur (*Cette explication est devenue classique*, *ibid.*, p. 161); nos vero nostram, eandemque illius clari auctoris verbis atque argumentis ipsius P. Suarez defendemus.

(10) Ex S. Thoma id merito hauriunt multi, nimirum ex 1 p. q. 43, a. 3 in c. Quo in loco verba quae pressius nostram significant sententiam haec fere sunt: "Sed tamen in ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus sanctus habetur et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur et mittitur." Verum quia paulo ante scripserat S. D.: "Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo"; quidam sic ipsum interpretati sunt perinde ac non admisisset, gratiam esse rationem formalem inhabitationis. Ita ex. gr. VAN DER MEERSCH (*in Dict. de Theologie catholique*, art. *Grace*, vol. 6, col. 1615) qui haec fert sententiam: "Le sentiment de saint Thomas peut se caractériser, nous semble-t-il, en disant que l'inhabitation de Dieu dans l'âme du juste consiste *fondamentalement* dans l'infusion et la conservation de la grâce sanctifiante, et *formellement* dans la possession de Dieu par la connaissance et l'amour surnaturels; cette possession est d'ordre *intentionnel*." Qua interpretatione ipsa sancti Spiritus inhabitatio quasi diminuta habetur contra id quod clare admodum fert Traditio. Arbitramur ergo melius commentari S. Doctorem cardinalem Toledo qui nullatenus inhabitationem sancti Spiritus sistere facit in praesentia intentionalis ipsius, sed per gratiam immediate personam divinam praesentem esse intelligit ut cum sequentes conclusiones eruit ex S. D.: "Datio seu donatio invisibilis etiam est secundum hanc tantum gratiam." "Non solum donatur seu mittitur ipsa gratia et donum creatum; sed persona divina in suo dono, seu per suum donum." Ideoque ut in hunc vericorem sensum S. Doctorem interpretentur aiunt Salmanticenses (*De SS. Trinitatis Mystero*, disp. 19, dub. 5, § 3): "Quia amor amicitiae quo creatura rationalis diligit Deum, ac proinde et gratia sanctifi-

Cum autem non raro diversarum scholarum auctores agnoverint P. Suarez in hac materia S. Thomae doctrinam apte exposuisse, ex illius operibus eam colligemus.

Tres praecipue sunt loci in quibus ipsam versavit Suarez: a) *De Trinitate* l. 12, c. 5, qui est locus potissime adductus ab aliis qui eum hac in re consulunt; b) *De Gratia*, l. 6, *De essentia gratiae seu iustitiae habitualis*; c) *De Gratia* l. 7, *De formali effectu gratiae habitualis, qui hominis sanctificatio, iustificatio, aut interna renovatio dici potest.*

STATUITUR CONNEXIO QUAE INTERCEDIT INTER GRATIAM SANCTIFICANTEM
ET INHABITATIONEM DEI IN ANIMIS IUSTIS

a) Suarez (l. 12 *de Trinit.* c. 5, n. 12) sic suam profert sententiam, quae communior postea exstitit: "Videtur igitur mihi satis probabiliter et pie sentire, qui dicunt talia esse dona gratiae gratum facientis, ut vi sua, vel quasi connaturali iure postulent intimam, realem ac personalem praesentiam Dei in anima per talia dona sanctificata."

Porro investigamus unde proveniat quod cum gratia sanctificante semper donum etiam infinitum, Spiritus nempe sanctus animae conferatur. Responsio haec est: eiusmodi gratia hoc secum fert, ut exigat hanc novam Dei in anima praesentiam. Solutio clara est, dummodo tamen probetur haec gratiae exigentia. Verum enim vero quo pacto certo scire poterimus hanc gratiae praesentiam ut esse non possit in anima quin ad ipsam illabatur Deus?

cans, oritur ex amore amicitiae, quo Deus diligit eandem creaturam: et ita gratia sanctificans, et eius dona sunt effectus praedicti amoris, et Deus, ac personae divinae infundendo praedictam gratiam, et eius dona, veniunt ad creaturam rationalem: ideoque idem est venire ad illam, ac esse ibidem diligendo eandem; et per consequens ac esse in ea per modum amici protegentis, et curam gerentis de ipsa." Eodem ferme modo sententiam S. Thomae intellexit clarissimus RUIZ DE MONTROYA (l. c. *sect. 3, Dico tertio*), qui haec tradit: "Maior adhuc et perfectior est proprietas in modo, ratione cuius ipsae divinae personae veniunt, mittuntur et dantur, et non solum earum dona. Quoniam ratione supernaturalis amicitiae, et participationis divinae naturae novum vinculum fortius et strictius additur ad realem praesentiam Dei in anima; nam ex vi huius denuo veniret realiter ad animam Spiritus sanctus, et realem praesentiam denuo quaereret; etiam si per impossibile prius non esset praesens per essentiam, praesentiam et potentiam.— Probatur, nam amor amicitiae non tantum affectus unit in genere causae formalis, sed etiam impellit ad procurandam realem praesentiam amati, etc." Quod iterum cardinalis MAZZELLA sequenti propositione statuit (*De Gratia Christi, disp. 5, art. 11, § 3, Prop. 35*): "Gratia sanctificans, perfectissimam amicitiam constituens inter Deum et hominem, vi sua postulat intimam et personalem praesentiam Dei in anima sanctificata. Huic ergo, praeter dona creata, communicatur donum increatum, ipse Spiritus sanctus, qui non modo per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem praesentiam, tanquam amicus ei coniungitur." Consule Beraza (l. c.) qui a n. 902 demonstrat hanc esse legitimam S. Thomae interpretationem.

Suarez viam sibi parat ad quaestionem melius solvendam sequenti terminorum explicatione. "Quod per hanc conditionalem, ait, optime declaratur. Quia si per impossibile fingamus Spiritum sanctum non esse alias realiter praesentem intra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus sanctus veniret ad illam per praesentiam personalem, et in ea esset et maneret, quamdiu gratia in illa duraret." Haec igitur est vis illius consecutionis: Est in anima gratia; ergo ibi est Deus. Hoc significant illa verba quae necessitatem exprimunt divinae praesentiae in iusto.

Sed agitur de ipsa divina substantia quae quamvis immutabilis sit, quasi de novo animae adest, quod difficile valde videtur. Quodammodo namque intelligitur mira illa Verbi incarnati praesentia in natura humana Christi Domini, quia natura illa modo substantiali personae divinae uniebatur; sed gratia qua nos afficimur non est gratia unionis personalis, proindeque in hac unione per gratiam sanctificantem, non intercedit tam evidens ratio praesentiae divinae, "nam est magis unio affectiva, quae accidentaliter dici solet quia mediis accidentibus fit".

Propter hoc igitur non erit quaerenda ratio aliqua physica divinae huius inhabitationis; sed moralis adest exigentia huius intimae, realis ac personalis Dei praesentiae. "Nam per gratiam et caritatem, arguit Suarez l. c. n. 13, perfectissima quaedam amicitia inter Deum et hominem constituitur. Amicitia vero ex se petit unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectum, sed etiam per inseparabilem praesentiam, et coniunctionem quoad fieri possit. Unde amicitia perfectissima, et maxime spiritualis ac divina suo iure ac debito postulat intimam Dei praesentiam in homine, quem sibi hoc modo amicum constituit per realem existentiam intra ipsum ex vi talis amicitiae, ita ut, quamvis alio titulo ibi non esset, hic sufficeret."

Haec igitur est vis quae morali quadam necessitate exigit inhabitationem Dei in homine gratia praedito, ipsa quippe virtus quae gratiam infundit ac conservat, caritas nimirum quae in Deo est, quae hominem sibi devincit ut amicum. Palam aperteque id profitetur Suarez cum integram suam argumentationem his verbis cingit atque concludit (n. 14): *Quia ergo Deus perfecte amat, quos sanctificat, et quia quod intendit, assequi potest, ideo ex vi talis amoris animae unitur secundum praesentiam realem.*

Ex quibus liquet non esse tantum obiectivam neque mere intentionalem Dei praesentiam quae vi ipsius gratiae participatae locum habere debet in anima; sed esse secundum substantiam atque perso-

nam; propterea quod est praesens Deus quasi sponte sua, quia vult, quia amat, ductus nempe amicitia quam in anima colit.

Tandem praetermittere non possumus, quod in fine scite valde notavit Suarez, quodque sin minus ad propriam argumentationem pertinet, ipsam tamen complet absolvitque. Hoc autem sic se habet: “Quia vero haec unio ita est amicitiae, ut tamen non sit omnio inter aequales, sed cum debita proportione, ideo ex vi illius manet Deus in homine, ut protector, et rector eius, cuius Deus curam gerit, non solum titulo generalis providentiae suae, sed peculiari titulo amicitiae. Denique quia in hac amicitia semper habenda est ratio divinae maiestatis, ideo ita ex vi illius manet Spiritus sanctus in homine, ut in amico, cui intime unitur, ut simul maneat ibi tanquam amicus summa reverentia et veneratione colendus, ideoque manet etiam ibi praesens, tanquam in templo vivo, quod ipse sibi ornat, et praeparat per dona creata, ut in illo, et ab illo adoretur.” Recte quidem ut omnia quae in Scriptura aut Traditione dici solent de inhabitatione sancta Dei in anima hoc uno titulo divinae amicitiae comprehensa esse, atque ex hoc uno fonte infinitae caritatis emanare intelligantur. Profecto hac una ratione clarissime splendet sublimis illa Christi Domini pronuntiatio (*Ioan. 14, 23*): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Nonne amor Dei est potissima maximeque immediata ratio divini huius adventus atque mansionis?

Veruntamen quam valde sibi cohaereat doctrina tradita ad praesentiam singularem Dei in animis sanctis iuxta theologica principia explicandam, magis adhuc constabit ex his quae collegit Suarez in suis libris *de Gratia habituali*.

ð) Cum igitur tanta sit coniunctio inter infusionem gratiae habitualis atque sancti Spiritus inhabitationem in homine, reliquum est ut cum de infusione gratiae nobis sit loquendum de ipsa etiam inhabitatione loquamur. It quod accidit passim Doctori eximio; qua sane ratione agendi non parum illustravit doctrinam ipsam qua de nunc loquimur.

Itaque in l. 6 *de Gratia*, qui totus est *de essentia gratiae seu iustitiae habitualis*, plura faciunt ad rem nostram, atque ad percipiendam exactius consecutionem inter gratiam et Spiritus inhabitationem.

Exempla nobis suppetunt abunde in cc. 1, 10 et 12. Iam in c. 1 id praecipue evincitur “praeter operationes, aliquod donum creatum ad ordinem gratiae gratum facientis pertinens nobis infundi, quod in nobis permanet, etiam dum non operamur”. Ergo haec est prima

affirmatio circa existentiam gratiae sanctificantis. Hanc autem propositionem ita probat auctor ut simul omnino tradat veram illam doctrinam de inhabitatione sancti Spiritus vel totius sanctissimae Trinitatis per ipsam gratiam.

Etenim primo sententiam profert, quae continetur *Ioan.* 14, 23. Tunc vero in hunc modum argumentatur: "Ubi prius (Christus Dominus) ponit dilectionem hominis, et observationem mandatorum, et ratione illius promittit Trinitatis adventum ad hominem, qui adventus non fit, nec intelligi potest sine novo effectu, et dono ab operatione distincto, cum operationem supponat. Non solum autem promittit Christus adventum ad animam diligens ipsum, sed etiam permansionem in illa: ergo eodem dono, quo advenit, permanet: ergo tale donum permanens est, etiam transacta operatione. Nam sicut non potest ad nos denuo venire sine interventu alicuius doni creati, quia non venit per mutationem suam, ita neque potest in nobis peculiari modo permanere sine creato dono permanente." Atque haec clarissimus theologus. In quibus profecto apparet quam sit alienus auctor noster ab omni explicatione in qua mirabilis haec inhabitatio per actus nostros etsi omni ex parte supernaturales vel fieri vel etiam proprie compleri affirmetur. Enimvero ratio primaria ac potissima qua intelligitur inhabitatio nullatenus est quod obiiciatur Deus vel fidei vel caritati nostrae, sed ipsa est voluntas Dei seu caritas eius quae gignit in nobis gratiam sanctificantem cum omnibus illis proprietatibus, dignis Deo, atque aptissimis ad referendum donum ipsum infinitum quod in nos illabatur.

Porro in verbis allatis fere accidit, quod passim vidimus in auctoritatibus sanctorum Patrum antea commemoratis, ut videlicet, idem sonet donum infinitum dari, seu Deum ad nos venire, ac gratiam nobis conferri (II). Quod nullum est inconveriens. Non enim dicitur, donum

(II) Quidam quandoque carpunt in hac materia Scholasticos Theologos, quia eos existimant fere praetermissae gratiam increatam seu divinum donum cum toti essent ad gratiam creatam explicandam, contra id quod fecerant Patres graeci. Sic in verbis allatis animadvertetur Suarez non posse in ratione agendi comparari cum illis Patribus, quia in simili re Patres fere non videbantur docere nisi donum infinitum, cum Suarez, hic non velit probare nisi gratiam creatam. Verum enim vero non advertunt Scholasticorum reprehensores, Patres graecos de dono illo divino egisse inter disputandum contra negantes Filium aut Spiritum sanctum esse Deum: contra vero Scholasticos saeculo decimo sexto speciatim valde incumbere debuisse in doctrinam iustificationis, in qua contra negantes veram iustificationem parum vel nihil iuvat repetere esse donum seu gratiam infinitam. Hoc tamen donum infinitum etiam sincerissime docebant ac tuebantur, ut patet ex hoc loco Suarez in quo illa doctrina de datione doni increati ut certum fundamentum assumitur ad probandam ipsam existentiam gratiae sanctificantis ac verae iustificationis. Ceterum hoc ipso recte sequebatur Suarez Doctores Scholasticos, ut S. Thomam, quorum est proprium, ait S. Ignatius in libro *Exercitiorum* [363], "res ad salutem aeternam necessarias definire, vel declarare pro nostris temporibus, et ad magis impugnandum, et declarandum omnes errores, et omnes fallacias".

infinitum et donum finitum unum idemque sunt; sed datio doni infiniti atque productio doni creati una est operatio, quod longe aliud est. Nec mirum est haec duo tam arcte copulari ut re idem sint, quia duo intelligentur esse quasi aspectus unius eiusdemque caritatis Dei.

Iterum et saepius Suarez incidit in eandem cogitationem dum evolvit suam argumentationem ad gratiam creatam stabiliendam. Itaque rem confirmat ex Augustino, quia S. D. affirmat Deum non solum ad adultos venire et in eis manere, sed etiam in parvulis (12); "ad hos autem venire, aut in eis permanere non potest per operationem, de ordinaria lege loquendo; ergo est per dona permanentia".

Deinde auctor redit ad probationem ex Scriptura deprompta, quatenus varie horum locorum (*Eph.* 3, 14-17; *1 Cor.* 3, 16; *2 Tim.* 1, 14; *1 Cor.* 6, 19; *2 Cor.* 6, 16) verba transcribit; quibus recitatis sic argumentatur: "Habitare autem, et habere, permanentiam significant: ergo et gratia, qua mediante Deus habitat in homine, et per quam consecratur in templum Dei, et aedificatur in habitaculum Spiritus sancti, ut dicitur ad *Eph.* 2, est forma permanens in ipso." Quae si non omnia repetunt, ut expresse propositionem nostram contineant, facillime cogitare sinunt quae occasione sententiae *Ioan.* 14, 23, modo tradebantur.

Sed adhuc auctoritate Augustini adducta rursus in idem redit Suarez cum ait: "Nam Deus ita habitat in iustis per gratiam amoris sui, ut magis habitet in magis sanctis: ergo illa habitatio est mediis donis creatis ac permanentibus, magis vel minus perfectis, nam in Deo secundum se differentiae illae inveniri non possunt." Neque est dubium quin his gradibus in habitatione Dei admissis, nullo prorsus modo vera et substantialis Dei inhabitatio negetur. Nam praeterquam quod nostra explicatio per ipsam gratiae largitionem gradus eiusmodi maioris nempe vel minoris gratiae manifeste admittit; hanc ipsam graduum diversitatem apertissime tuetur Augustinus (*epist.* 187, n. 19) in hac Dei praesentia substantiali, quippe qui scripsit: "Quanto excellentius Deus natura incorporea et immutabiliter viva, qui non sicut sonus per moras temporum tendi et dividi potest, nec spatio aereo tanquam loco suo indiget, ubi praesentibus praesto sit, sed aeterna stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus potest, et singulis totus, quamvis in quibus habitat, habeant eum pro suae capacitatis diversi-

(12) Verba Augustini quae non refert Suarez haec sunt (*Epist.* 187 seu *de Praesentia Dei liber*, n. 21, *M. L.* 33, col. 840): "Et ideo multum mirabilis res est quemadmodum quorundam nondum cognoscentium Deum sit inhabitator Deus, et quorundam cognoscentium non sit. Nec illi enim ad templum Dei pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; et ad templum Dei pertinent parvuli sanctificati Sacramento Christi, regenerati Spiritu sancto, qui certe per aetatem nondum possunt cognoscere Deum, etc."

tate, alii amplius, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suae bonitatis aedificat!" Itaque idem est, gratia suae bonitatis aedificare Deum sibi templum, aut conferre gratiam, hominemve habitare.

Missa facio alia plura eiusdem libri Suarez ne multitudine locorum vagari videatur oratio (13).

c) Ex l. 7 de *Gratia* iterum non pauca afferri possunt ad eandem sententiam confirmandam. Agit enim Suarez in hoc l. 7, "de formali effectu gratiae habitualis, qui hominis sanctificatio, iustificatio, aut interna renovatio dici potest". Eiusmodi autem effectus sicut obtinentur per gratiam creatam quatenus a Deo producitur, ita etiam per adventum doni increati in anima. Itaque passim in hoc libro sicut videbimus haec omnia coniuncta, ita percipiemus inhabitationem sancti Spiritus esse per infusionem gratiae sanctificantis.

Qua facilitate praesens quaestio attingatur in hoc libro patet iam ex c. 1 n. 13, quia ut probet Suarez hominem gratum Deo reddi per aliquod donum homini inhaerens, ait: "Unde potest optime confirmari haec ratio verbis Christi Domini (*Ioan.* 14, 23), *Si quis diligit me, mandata mea servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, utique per gratiam permanentem, ut supra explicatum est, et pluribus rationem hanc in sequentibus locupletabimus et explicabimus."

In c. 9. n. 17 legimus: Et inferius dicitur (*Rom.* 5) caritas infundi in cordibus per Spiritum sanctum qui datus est nobis, utique per gratiam ut supra ponderavi." Atque statim adducitur iterum Paulus (*Tit.* 3) ubi affirmatur effusio Spiritus sancti in nos; ex quo sic arguitur: "Ubi per eandem gratiam iustificari dicimur, per quam et Spiritus in nos effundi, et nos salvari." etc.

Itaque haec est sententia quam tuemur, quae rationi summopere consentanea videtur, nimirum per eandem gratiam et nos iustificari et Spiritum sanctum in nos venire atque ipso facto inhabitare in nobis, ita ut idem reapse sit iustificari ac suscipere in nobis Spiritum Dei.

Factum autem contingens iustificationis mutationem quamdam realem importat atque intrinsece implicat, quae quidem nequaquam ex parte Spiritus sancti versatur; ideo inhabitationem sancti Spiritus in-

(13) Non casu tantum in hoc libro agi de re praesenti constavit ex. gr. ex sequenti ratiocinatione qua Suarez ibi c. 12. n. 8 defendit sententiam S. Thomae circa distinctionem inter gratiam et caritatem: "Tertiam rationem ait sumere possumus ex perfecto illapsu Dei in animam, ut enim ex parte sit completus, non tantum debet fieri in potentiis, sed etiam in essentia, seu substantia animae, ita ut non tantum sit in potentiis, sed etiam in essentia animae novo modo incipiat esse Spiritus sanctus, quando anima iustificatur." Quibus verbis iterum patet idem esse debere Spiritum sanctum inhabitare in anima atque huic gratiam conferri.

telligimus in nobis per largitionem aut conservationem gratiae iustificantis.

Omissis ergo aliis non paucis indiciis optimae huius doctrinae et ratiocinationis (14), veniamus ad c. 16, m. 6 ubi tradit auctor, "formam expellentem peccatum esse gratiam habitualement sanctificantem, quam nos censemus esse in essentia animae, distinguique realiter a caritate". Ad quod probandum ita cum S. Thoma (I. 2, q. 113, a. 2) ratiocinatur: "Deus remittit nobis peccatum, diligendo nos (utique aliter, quam antea diligebat), sed forma, qua nos constituit sic diligibiles, ac dilectos, ex parte nostra est gratia, quae est primus ac per se effectus illius dilectionis Dei, ergo eadem forma gratiae est necessaria ad remissionem peccati, non quomodocumque, sed plane ut forma primario, ac per se peccatum expellens." Revera in his inhabitatio non commemoratur verbo, res tamen ipsa latet hic proprio excellentique modo. Etenim dilectio illa Dei quae gratiam confert, ipsa est ratione cuius inhabitatio ut factum novum a Deo promissum intelligitur. Sicut enim gratia hominem gratum Deo reddit ut amicum, ita etiam quasi adducet magnum hominis amicum Deum ad ipsum hominem. Hanc autem esse in hoc eodem loco Suarez opinionem et fundatissimam sententiam ex sequentibus statim apparebit.

Profecto, postquam ipse auctor argumentum S. Thomae omni ex parte firmavit solidavitque, hac ratione demonstrationem ipsam prosequitur (n. 7): "Esque haec ratio, ait, consentanea verbis Christi, *Ioan. 14, Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum;* et infra: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus,* utique veniemus et inhabitabimus (15) per gratiam, tanquam in templo sanctificato, et a peccatis mundo." Et paulo post: "Per hanc ergo dilectionem quasi active remittit peccata, formaliter autem per gratiam, quae est effectus et terminus illius dilectionis. Denique nulla esse potest forma, cui maiori ratione coniuncta esse debeat peccati remissio,

(14) Ne rhetoricari videamur cum ponderamus toties a Suarez id repeti de formali ratione inhabitationis sancti Spiritus per gratiam et non per virtutem caritatis aut fidem, duas hic affirmationes ipsius auctoris cursim recensebimus ex c. 2 eiusdem libri. Probat ibi n. 3 "habitualement gratiam intrinsece, et ex natura sua constituere hominem filium Dei adoptivum, et haeredem supernaturalis beatitudinis." Haec vero inter arguendum habet: "Dicuntur autem (sc. a Paulo, *Rom. 8*) spiritu Dei agi omnes illi qui habent Spiritum sanctum in se per gratiam inhabitantem, de quibus dixerat: *Vos non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.*" Iterumque paucis interiectis Pauli verbis: "Spiritus autem sanctus per gratiam habitat in nobis; per illam ergo nos constituit Dei filios adoptivos." Ac notandum valde in hoc libro agere Suarez de gratia ut est quid prius virtute caritatis.

(15) In editione operum nostri auctoris facta Venetiis, lepidum hic mendum invenitur. Legimus enim, *utique veniemus, et inhabitemus.* Sit venia verbo.

quam illa quae hominem constituit Dei filium, et Deum per participationem, et *Spiritus sancti templum*, sed hoc praestat gratia sanctificans, ergo etc." Quonam autem pacto argumentatio adhibita a Suarez post S. Thomam consentanea sit verbis Christi Domini, maxime elucet propterea quod iuxta argumentationem dilectio Dei est effectrix gratiae habitualis, et iuxta evangelicam sententiam ipsa dilectio est effectrix inhabitationis Dei in anima; dum igitur repetit Suarez per gratiam habitualement hominem constitui templum Spiritus sancti, inhabitationem Dei intelligit immediate dimanare ex illa dilectione Dei gratiae effectrice.

Atque haec sufficiant ad declarandum quam secundum rei veritatem sit nostra propositio quae sic se habet. Propria ratio inhabitationis Dei in nobis repetenda est ab ipsa largitione aut conservatione gratiae sanctificantis.

II. — INHABITATIO IN ANIMA QUAMVIS PRAEDICETUR TANQUAM PECULIARIS DE SANCTO SPIRITU, VERISSIME HABETUR PRAESENTIA TOTIUS SANCTISSIMAE TRINITATIS

Postquam sat multa in prima parte congesimus, breviter hanc expedire poterimus.

Atque, ut statim apparet, nihil opus est nobis denuo demonstrare inhabitationem praedicari tanquam peculiarem de sancto Spiritu. Id enim passim vidimus sive in testimoniis Scripturae sacrae, sive in sanctorum Patrum sententiis, sive etiam in argumentis theologorum. Nec quisquam est qui rem tam compertam infitietur (16).

Verum controversia est inter theologos in eo quod maxime affirmamus in hac parte. Etenim quibusdam, duce praesertim Petavio, visum est, non tantum per appropriationem, sed etiam per proprietatem inhabitationem sancti Spiritus esse; non ita vero totius Trinitatis. Attamen totius esse Trinitatis, quod libentissime defendimus, sententia est longe plurimorum, quae etiam moraliter certa videtur propter gravissima rationum pondera quae in hanc partem sapientiores pertrahunt (17).

(16) De hac veritate ad recte fovendam devotionem erga sanctum Spiritum luculenter verba fiunt in litteris Leonis XIII, l. c. pag. 139.

(17) Principium unde dimanat sententia Petavii et aliorum etiam recentiorum maxime videtur esse doctrina Magistri Sententiarum iuxta quam habitus seu virtus caritatis in homine ipsemet esset Spiritus sanctus. In quo quidem principio facile nomine caritatis

Quanta vero securitate probatissimi quique Scholastici sententiam hanc tradant vel uno exemplo S. Thomae patebit. Sic enim loquitur (I p., q. 43, a. 5 in c.): “Respondeo dicendum quod per gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem, secundum illud *Ioan.* 14, 23: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Mitti autem personam divinam ad aliquem per invisibilem gratiam significat novum modum inhabitandi illius personae; et originem eius ab alia. Unde cum tam Filio quam Spiritui sancto conveniat et inhabitare per gratiam, et ab alio esse, utrique convenit invisibiliter mitti. Patri autem licet conveniat inhabitare per gratiam, non tamen ei convenit ab alio esse; et per consequens nec mitti.” Proindeque quod palam aperteque docuit Leo XIII illis quidem verbis (in sessio), *verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine*, id ipsum auctoritate Patrum atque sacrarum Scripturarum iam nullo negotio probamus.

Itaque omnes Patres quorum auctoritate ostendimus inhabitationem de qua loquimur in universum esse per gratiam aut cum gratia sanctificante iterum appellare possumus, quandoquidem existimamus eos sine ulla exceptione docuisse singularem illam Dei inhabitationem non solius Personae Spiritus sancti esse propriam sed totius sanctissimae Trinitatis. Eos igitur eodem quo antea ordine breviter recenseamus, ad rem praesentem quod attinet.

ipsa gratia sanctificans venit. Nam ipse Petavius cum argumenta adversantia sibi dissolvere nititur (l. 8 *de Trinitate*, c. 6, n. 9), scribit: “At etiam persaepe Deus cum in nobis manere, et habitare dicitur, peculiaris intelligenda est persona Spiritus sancti, tanquam citima, ut sic loquar, adoptionis causa et forma sanctificans.” Ac quibusdam adductis S. Augustini verbis de quibus postea dicemus, addit: “De quo iam supra diximus (l. 7, c. 12); et videndus omnino Petrus Lombardus, qui hoc ipsum maiori pertractavit copia in primo libro *Sententiarum*” (*dist.* 17, c. 4). Sed audiatur modo qua perspicuitate S. Thomas evertat fundamenta defendentium doctrinam Magistri. “Dicunt, ait Angelicus, quod sicut Filius univit sibi naturam humanam solus, quamvis sit ibi operatio totius Trinitatis, ita Spiritus sanctus solus univit sibi voluntatem, quamvis ibi sit operatio totius Trinitatis. Sed hoc non potest stare quia unio humanae naturae in Christo terminata est ad unum esse personae divinae: et ideo idem actus est personae divinae, et naturae humanae assumptae: sed voluntas alicuius sancti non assumitur in unitate suppositi Spiritus sancti. Unde cum operatio supposito unitatem habeat, et diversitatem, non potest esse quod intelligatur esse una operatio voluntatis et Spiritus sancti, nisi per modum, quo Deus operatur in qualibet re: sed iste modus non sufficit ad operationis perfectionem, quia operatio consequitur conditiones causae proximae in necessitate et contingentia, et perfectione et eiusmodi, et non primae causae.” Sic magnus ille Doctor quem sequimur. Sed neque est nostri instituti Petavium eiusque imitatores refutare, non enim nisi doctrinam communissimam tradere intendimus, cum sententia contraria aliter atque aliter exponatur, sitque parum definita ab ipso Petavio cuius haec sunt verba (l. c., n. 6): “Nostram igitur, quae privatim sit opinio, vel non dico, quia rem noudu[m] compertam satis habeo, vel hoc loco non dico.”

PROBATIO

a) Cyrillus Alexandrinus in commentario ad illa verba *Ioannis* 14, 23, quae iure meritoque tam fidenter ut modo vidimus adduxit S. Thomas, ipsum quod tenemus enuntiat cum ait (*M. G.* 74, col. 291): “Nihil enim increatum esse putabitur unquam, nisi solus natura Deus, ex quo videlicet ineffabiliter procedens sanctus Spiritus, *ut ipse* ex quo est, *habitat* in nobis.” Quod autem loquatur de hac inhabitatione de qua nobis est sermo, patet tum ex loco Ioannis quem commentatur, tum praeterea quia continuo adiecit: “Proprius enim est substantiae eius, et *qualitas* veluti quaedam *sanctitatis eius*.”

Egregium sane testimonium sed non absimile arbitramur quod legimus in eodem opere ad verba *Ioan.* 16, 15, *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* “Habet igitur, ait Cyrillus (l. c. col. 451), Deus ac Pater ex seipso et in se suum Spiritum id est sanctum, per quem in sanctis inhabitat, eisque revelat mysteria”, ac proinde sicut proprie Pater eodem modo ac Spiritus sanctus revelat mysteria, ita proprie inhabitat sicut ipse Spiritus.

Addit adhuc: “Non enim aliter in creatura Deus inhabitat, quam per Filium in Spiritu”, quod idem sonat ac tota Trinitas inhabitat. Demum concludit Cyrillus (col. 454): “Idcirco ait (*Ioan.* 16, 15)... Spiritus nimirum qui per ipsum et in ipso est: per quem sanctis, *ut ipse, inhabitat.*” Siquidem ut ipse Spiritus habitat Verbum, profecto inhabitatio non ad proprietatem personalem Spiritus pertinet.

b) Ex magno Athanasio unum sufficiat recordari, quod adduximus (*M. G.* 26, col. 587), interrogationem nempe illam, “Si igitur Pater omnia per Verbum in Spiritu creat et renovat: quae similitudo aut cognatio creantis cum rebus creatis?”, in qua manifestissimum redditur ad mentem S. Athanasii renovationem hominis ad totam sanctissimam Trinitatem esse referendam, sicut creationem certo referimus. Inhabitatio autem in renovatione palam includitur.

c) Item brevissime patefacio S. Basilium in eadem fuisse sententia. In l. 5 *adversus Eunomium* (*M. G.* 29, col. 762) inquit ut vidimus: “Cum enim fiant omnia a Deo per Iesum Christum in Spiritu, inseparabilem video Patris et Filii et sancti Spiritus operationem. Et propterea *templa Dei et Filii et sancti Spiritus sunt omnes sancti*, in quibus *inhabitat una deitas*, et una dominatio et una sanctitas Patris et Filii et Spiritus sancti, *propter unam baptismatis sanctificationem.*” En ipsissimam doctrinam Scholasticorum vereque ita traditam ut con-

sequitur illam aliam certissimam de unica operatione totius sanctissimae Trinitatis creantis.

d) Addimus etiam in eundem sensum S. Ioannem Chrysostomum. Neque tamen ignoramus ipsum saepissime versare ut sic dicam doctrinam de inhabitatione Spiritus sancti quasi nihil cogitando de duabus aliis divinis Personis. Etiam cum ad commentandum venit locum *Ioan.* 14, 23 ex quo tam facile eruitur inhabitatio Patris et Filii, non nisi cursim scribit: “ac si diceret, Sicut Pater manifestat seipsum, sic et ego. Neque hoc tantummodo, sed etiam quod adiecerit, Mansionem apud eum faciemus, omnem tollit suspicionem: id quippe non ad somnia pertinet”. Quibus dictis ad alia properat (*M. G.* 59, col. 400).

Immo vero in eadem homilia 75 in *Ioan.* quasi ommissa inhabitatione Patris et Filii, ea quae de sancto Spiritu dicuntur maxime effert, congerens quae de ipso dicuntur hoc modo: “Ideo prius, inquit Chrysostomus, innumera de Spiritu dixerat (Christus), ut, *In vobis est*, et, *Mundus non potest capere*, et, *Ipse vobis suggeret omnia*, et, *Spiritus veritatis*, *Spiritus sanctus*, et, *Paracletus*, et, *Expedit vobis*: ne animo deficerent, quasi omni ope et auxilio destituti.”

At vero nihil hoc probare contra nostram sententiam constat ex facilitate qua in his Chrysostomus personam Filii commemorat. Addit enim dictis: “Expedit autem dicit, (Christus), ostendens se illos spirituales redditurum.” Nam in sententia contraria prorsus omninoque scribere debuisset, “ostendens Spiritum illos spirituales redditurum” (l. c. col. 409). Sed ad alia transeamus.

In homilia 13 in *Rom.* n. 8 haec habet Chrysostomus: “Rursus Christus in illis esse ait... Hoc autem dicebat, non quod Spiritum Christum diceret; absit; sed ostendens, eum qui Spiritum habet, non modo Christi esse dici, sed etiam ipsum habere Christum. Non potest enim, Spiritu praesente, non adesse Christus. Ubi enim una Trinitatis hypostasis adest, tota adest Trinitas; non potest enim omnino separari, et accuratissime unita sibi est.” Et paulo inferius “Hoc quippe signum est, quod Filium habeamus, quod Spiritus in nobis sit” (*M. G.* 60, col. 519). Postquam vero haec tam aperta dixisset circa inhabitationem totius sanctissimae Trinitatis iterum ac saepius in eadem homilia non nisi sancti Spiritus inhabitationem repetit. Quapropter non dubitamus quin eiusmodi inhabitatio sancti Spiritus apud Chrysostomum per appropriationem non autem per proprietatem sit intelligenda.

e) Sequitur ut S. Augustini sententiam enucleemus. Porro verba S. D. quae ex *Tract* 76 in *Ioan.* initio protulimus sine dubio men-

tem ipsius hac super re palam indicant; sed ad nostrum institutum longe his praestant, quae ex *Tract.* 95 colligimus, quaeque sic se habent (*M. L.* 35, col. 1869): “Christo autem discedente corporaliter, non solum Spiritus sanctus, sed et Pater et Filius illis adfuit spiritaliter. Nam si ab eis sic abscessit Christus, ut pro illo, non cum illo in eis esset Spiritus sanctus; ubi est eius promissio dicentis: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi* (*Matth.* 28, 20); et, *Veniemus ad eum ego et Pater, et mansionem apud eum faciemus* (*Ioan.* 14, 23): cum et Spiritum sanctum ita se promiserit esse missurum, ut cum eis esset in aeternum? Ac per hoc cum nihil ex carnalibus vel animalibus essent spirituales futuri, profecto et Patrem et Filium et Spiritum sanctum capacius fuerant habituri. In nullo autem credendus est esse Pater sine Filio et Spiritu sancto, aut Pater et Filius sine Spiritu sancto, aut Filius sine Patre et Spiritu sancto, aut sine Patre et Filio Spiritus sanctus, aut Pater et Spiritus sanctus sine Filio: sed ubi eorum quilibet unus, ibi Trinitas Deus unus. Oportebat autem ita insinuari Trinitatem, ut quamvis nulla esset diversitas substantiarum, singillatim tamen commendaretur distinctio personarum: etc.” Quis haec audiens non statim agnoscit extra omnem controversiam esse, eam fuisse S. Augustini sententiam quam Scholastici omnes cum S. Thoma tenuerunt, quamque Leo XIII in praeclarissimis litteris encyclicis suam fecit illis quidem verbis, “Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine inhabitatio dicitur... verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine”? (18).

f) Tandem ut finem nostrae investigationi ponamus, audiatur Leo Magnus, qui tam enixe in contionibus in festum *Pentecostes* unitatem operationis totius sanctissimae Trinitatis commendavit. Quae quidem commendatio cum de *Pentecoste* erat sermo, sine dubio, nisi

(18) Petavius ut suspicionem saltem quamdam relinqueret circa mentem S. Augustini, auctoritatem quamdam eius attulit in l. 8 de Trinitate, c. 6, n. 5, ad probandum sanctum Spiritum esse citivam personam, ut sic loquamur, in causa gratiae sanctificantis atque adoptionis filiorum, ita ut cum legimus, Deum nos filios adoptivos constituere, non statim vel aequè immediate possimus concludere, eodem ergo modo singulas Personas id in nobis efficere. Haec autem sunt verba Augustini: “Si in donis Dei nihil maius est caritate, et nullum est maius donum Dei quam Spiritus sanctus, quid consequentius quam ut ipse sit caritas, qui dicitur et Deus et ex Deo?” Ast ne indicium quidem ullum adest in eo loco (*l. 15 de Trinitate*, c. 19, n. 37; *ML*, 42, col. 1086) ex quo liceat coniecere quidquam ibi sanctum D. docere quod ad praesentem controversiam pertineat. Neque ullus Scholasticorum explicare debuit haec verba ne viderentur adversari sententiae receptissimae quam tuemur. Immo vero, si coniecturis nobis esset disputandum, non levem inde hauriremus, quia diligenter in ipso loco Augustinus curavit ratam habere sententiam iuxta quam caritas Dei etiam, saltem aequo iure ac Spiritum sanctum potest significare, substantiam seu naturam Dei significat. “Caritas quippe Patris, aī, quae in natura eius est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam eius ipsa natura atque substantia, ut saepe iam diximus, et saepe iterare non piget”, in quibus manifeste caritas Dei ad tres pertinet divinas Personas.

contrarium dicatur, ad opera gratiae et adoptionis filiorum referri intelligitur. Sic igitur verba facit in contione secunda (*M. L.* 54, col. 405): “Huius enim beatæ Trinitatis incommutabilis Deitas una est in substantia, indivisa in opere, concors in voluntate, par in potentia, aequalis in gloria. De qua cum sancta Scriptura sic loquitur, ut aut in factis aut in verbis aliquid assignet quod singulis videatur convenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur: ut per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, et non dividat intellectus quod distinguit auditus. Ab hoc enim quaedam sive sub Patris, sive sub Filii, sive sub Spiritus sancti appellatione, promuntur, ut confessio fidelium in Trinitate non erret. “In quibus, ut apparet, rationem reddit quare in operibus gratiae, exempli causa, sit quaedam appropriatio ita ut speciaticim personae Spiritus sancti tribuatur operatio, ut aptius cognoscatur ipsa persona divina, non ad distinguendam operationem Spiritus sancti ab aliarum personarum operatione in anima iustorum.

CONFIRMATUR RATIONE

Nempe ratio philosophica parum prodesset ex sese ut actionem supernaturalem Dei in homine ostenderet ad singulas Personas pertinere. Neque enim supernaturalem actionem ipsa novit, neque Personas divinas ipsa per se valet attingere. Sed fide praelucente proficit in mysteriis intellectus iuxta dictum Augustinii, *credite et intelligetis*.

In re autem praesenti progredi possumus ipso conceptu inhabitationis a Traditione hausto. Etenim, ut vidimus, per ipsam Dei dilectionem qua nobis gratia sanctificans confertur, Deus in nobis inhabitat; atqui haec dilectio seu caritas ad Dei naturam seu substantiam Patris ac Dei pertinet, ut modo legimus in sancto Augustino: Itaque et Pater et Filius et Spiritus sanctus quasi aequo iure intelliguntur in iustorum animis inhabitare, quod erat demonstrandum.

Adhuc, opus nostrae iustificationis, ut a Deo est, reddit hominem divinae naturae participem; sed divinae naturae participatio est a tota sanctissima Trinitate, ut omnis participatio entis est a tribus Personis tanquam ab unico principio; ergo...

Profecto, participatio divinae naturae primario convenit ratione essentiae seu naturae divinae; primario igitur habetur aequo modo per operationem trium Personarum quatenus unus sunt Deus, ac consequenter aequo modo ratione ipsius in sessionis, quae est largitio gratiae, tota sanctissima Trinitas in iusto inhabitat.

Ceterum mira dici possunt de hac sancti Spiritus et totius sanctissimae Trinitatis inhabitatione, sicut mira sunt quae de gratia sanctificante et caritate agnoscit fides, quamvis breviusculis verbis ea tradi soleant et debeant iuxta scholasticam disciplinam in suo nimis fortasse conciso modo dicendi. Neque quisquam parvi pendat hanc inhabitationem cum per gratiam audit eam perfici: nam ut ait Leo XIII (l. c. pag. 137): “Eloqui nemo potest quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae patres, et regenerati et creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur.”

ALOISIUS TEIXIDOR, S. J.